



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, 1680

180. Excommunicatus excommunicatione minori absque dispensatione
impetravit pensionem; quam postea sine licentia Papæ extinxit; adiit
Confessarium, qui illum ad me misit, quæritur, &c. Et infertur, ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76372](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76372)

Sup. hoc in
rel. seq. & in
rel. 1. post
seq. 5. Dico
secundo, &
inferius in
tr. 5. Rel. 141
§. An vero.

2. Sed solum hæc opinio locum habere debet in
pensionibus, quæ sunt beneficium Ecclesiasticum,
quia dantur titulo spirituali, non vero in his, quæ non
sunt beneficium, quia dantur titulo seculari, quia ju-
ra loquuntur solum de beneficiis, & ita docet Tur-
rianus lib. 2. disp. 16. dub. 1. Valquez de excomm. dub.
6. n. 5. Henriquez lib. 13. c. 13. n. 2. Layman lib. 2. tr. 5.
p. 2. c. 2. n. 8. Cornejo in 3. p. tr. 6. de excomm. disp. 10.
§. 7. dub. 1. Imò Avila p. 2. c. 6. disp. 5. dub. 5. concl. 2.
putat esse probabile quoddam pensio spiritualis, quæ fun-
datur in titulo spirituali, collata excommunicato sit
valida. Et hanc sententiam absolute tenet (nota Le-
ctor) Ioannes Præpositus in 3. p. 9. 2. de excomm. dub.
11. n. 64. quia constat excommunicatum non esse ex
natura rei incapax beneficii, vel pensionis. Ergo
incapax debet provenire ex jure positivo: dicimus
autem non probari in particulari ex jure, quoddam con-
cessio pensionis facta excommunicato sit irrita, nec
sufficienter ostendi ex eo quoddam collatio beneficii sit
irrita, cum pensio etiam collata titulo Ecclesiastico
non sit beneficium, nec de ea sit discurrendum, sicut
de beneficio sine jure expresso, propter aliquam inter
ea convenientiam, præsertim in materia odiosa, &
quantum fieri potest semper restringenda. Hæc præ-
positus, licet novissime adversus illum insurgat Theo-
philus Raynaudus de monit. part. 2. c. 2. n. 29.

RESOL. CLXXIX.

An collatio pensionis facta excommunicato titulo Cle-
ricali sit invalida: Ex part. 4. tractat. 4. & Misc.
Resol. 55.

Sup. hoc in §. 1.
rel. præteri-
ta, & in Rel. de
conf. lib. 2. disp.
16. dub. 1. Sayus
de conf. lib. 2. c. 5.
secundo, &
par. 1. 4. tr. de
excomm. dub. 6.
Henriquez lib. 13.
c. 13. n. 2. Filli-
cius t. 1. r. 12. c. 5.
9. 4. Reginaldus
t. 2. lib. 32. r. 2.
c. 7. n. 4. Alterius
de conf. t. 1. lib. 2.
disp. 6. c. 4. &
alij. Ratio est, quia
excommunicatus est
incapax privilegio-
rum; ergo est incapax
pensionum. Adde quod
multi afferunt talem
pensionem esse benefi-
cium, unde ex hac
sententia sequeretur
obtinentem pensionem
tituli clericalis non
posse fructus percipere;
nec ultimum jus ad
illos habere.

Affirmativam sententiam docet Villalobos
in summa t. 1. r. 17. diff. 9. n. 3. Turrianus
lib. 2. disp. 16. dub. 1. Sayus de conf. lib. 2. c. 5.
n. 15. Lessius lib. 2. c. 34. dub. 22. n. 127. Valquez in
3. p. 9. 2. de excomm. dub. 6. Henriquez lib. 13. c. 13.
n. 2. Fillicius t. 1. r. 12. c. 5. 9. 4. Reginaldus t. 2. lib. 32.
r. 2. c. 7. n. 4. Alterius de conf. t. 1. lib. 2. disp. 6. c. 4. &
alij. Ratio est, quia excommunicatus est incapax pri-
vilegio-
rum; ergo est incapax pensionum. Adde quod
multi afferunt talem pensionem esse benefi-
cium, unde ex hac sententia sequeretur obtinentem pensionem
tituli clericalis non posse fructus percipere; nec ul-
timum jus ad illos habere.

2. Sed licet hæc opinio sit probabilior, contrariam
tamen etiam probabilem esse judico, quam tueretur
Avila de conf. p. 2. c. 6. disp. 5. dub. 5. concl. 2. & hanc sen-
tentiam absolute docet ex neotericis Gaspar Hurtado
tr. de excomm. disp. 6. diff. 3. n. 6. ubi sic asserit: No-
mine beneficii ad quod excommunicatus est inhabi-
lis, intelligitur quodcumque beneficium, sive cum
animarum cura, sive sine illa, sive ex majoribus, ut
Episcopatus, sive ex minoribus: & quamvis excom-
municatus sit privatus beneficio, non tamen pen-
sione, quæcumque sit, ac proinde consignatio illius fa-
cta excommunicato est valida, ut contra non paucos
docent nonnulli, quia pensio non est beneficium,
quia nulla ex re est jus perpetuum ad fructus, quod
deinceps est conferendum, quod requiritur ad ratio-
nem beneficii, & excommunicatus non est privatus,
nisi beneficio. Ita ille, & ante illum ex eadem Socie-
tate Ioannes Præpositus in 3. p. D. Thom. 9. 2. de ex-
comm. dub. 11. n. 64. unde, ut dixi, non dubito hanc
sententiam esse probabilem & tutam in praxi; unde
non obligarem pensionarium in tali casu ad restituti-
onem. Nec valet dicere cum Valquez, Suarez & aliis,
quoddam excommunicatus est suspensus ab officio. Ergo

est incapax saltem pensionis, quæ datur titulo Eccle-
siastico; nam respondeo negando consequentiam,
quia non obstat eo, quoddam in antecedente assumitur,
constat excommunicatum non esse ex rei natura in-
capacem beneficii, vel pensionis; ergo incapax
debet provenire ex jure positivo. Dicimus autem non
probari in particulari ex jure, quoddam concessio pen-
sionis facta excommunicato sit irrita, nec sufficien-
ter ostendi ex eo, quoddam collatio beneficii sit irrita,
cum pensio etiam collata titulo Ecclesiastico non sit
beneficium, nec de ea sit discurrendum, sicut de be-
neficio sine jure expresso, propter aliquam inter ea
convenientiam, præsertim in materia odiosa, & quan-
tum fieri potest restringenda ergo, &c.

RESOL. CLXXX.

Excommunicatus excommunicatione minori absque di-
spensatione impetravit pensionem, quam possidet sine in-
centia Papæ extincti, ad ius Confessarii, qui illum ad
se misit, quæritur, &c.

Et inferitur, quod excommunicatus minori excommu-
nicatione potest opponi ad beneficium Curatum in con-
cursu, cujus administratio ad examen, & oppositio valida
erunt, sicut & collatio, &c.

Et asseritur non posse pensionem absque auctoritate Pa-
pe redimi sine culpa.

Et probatur synoniam esse extinguere pensionem sine as-
sensu Apostolice, Ex part. 1. r. tractat. 5. & Misc. 5.
Resol. 5.

Tunc infra scripta consideravi. Dico igitur
primò, aliquos asserere excommunicatum ex-
communicatione minori non esse incapacem ad be-
neficia Ecclesiastica, ita ex 19. Doctoribus firmat
Thomas Hurtados Var. 2. r. 52. c. 7. §. 17. num. 96 §. 1.
Probatur clarè, quia Gregorius IX. c. si celebrat. de
clericis excomm. dicit, quod excommunicatus minori ex-
communicatione eligere non prohibetur, vel ex ratione ju-
risdictionis sibi competunt exercere si tamen sitentialis
electus fuerit, ejus electio est irritanda. Quibus verbis
Pontifex declaravit c. postulasti eod. ubi Innocentius III.
Greg. antiquior determinat quod collatio facta ex-
communicatis sit nulla, & irrita ipso facto, quod in-
telligatur de excommunicatione majori, quia facta ex-
communicato minori non est irrita, sed irritanda. Et
quidem satis prudenter est ita statutum, quia cum tem-
pore Greg. IX. non liceret communicare cum excom-
municatis, & qui communicabat, incurreret excom-
municationem minorem, si ista redderet incapax
ipso facto aliquem ad beneficia, erat occasio multarum
inquietudinum, & scrupulorum. Quare Gregorius
volens conscientias sedare fidelium, declarat mentem
Innocentij, ut ejus decretum non intelligatur de ex-
communicatione minori sed quod electio facta in ta-
li excommunicatione irrita, non sit ipso jure irrita,
sed irritanda. Quod cum sumus in pœnalibus in sua pro-
pria significatione est intelligendum, & non ad im-
proprium detorquendum, & inferius n. 969.

2. Ex his inferitur, quoddam excommunicatus mino-
ri excommunicatione potest opponi ad beneficium
curatum, in concursu cujus administratio, examen, opposi-
tio, valida erunt, sicut, & collatio, quæ si ignoranter
facta est excommunicationis, non est irritanda, sicut
nec irritanda est electio sic excommunicati ad digni-
tatem, seu ministerium politicum temporale, sive
Cathedram Sacre Scripturæ, si non habet beneficium
annexum, quibus omnibus est incapax excommuni-
catus majori: Unde non est admittenda opinio con-
traria, quam tenent Sanchez, Azorius, Garzias, Vgo-
linus, & alij quos citat Hurtados loco citato.

3. Dico

3. Dico secundo, etiam si standum esset in hac posteriori sententia, videlicet quod excommunicatus excommunicatione minori sit incapax beneficii Ecclesiastici, asserto probabilitate non carere validam esse collationem cuiuscunque pensionis excommunicato factæ. Ita solum Layman lib. 6. §. m. tr. 5. part. 1. n. 2. Eman. Sæ verb. homicida n. 21. indicat Suar. disp. 4. de censuris §. 3. n. 33. favetque declaratio Sacre Congregationis sess. 14. c. 7. dicens, hoc decretum de incapacitate homicidæ ad beneficia, non extendi ad pensionem. Ratio verò est, quia nullibi habetur pensionem excommunicato collatam nullam esse, quia textus in c. postulatis, & c. ult. de clerico excomm. ministr. de beneficio Ecclesiastico loquuntur, quorum decisio extenditur ad pensionem; eò quod loco beneficii succedat, & illius naturam imitetur. At cum sola pensio quæ præsimonium est, vel quæ ab exercitium spirituale conceditur, per se & naturam beneficii imitetur, & illius loco succedat sit sanè solam illam pensionem irritam esse excommunicato collatam, non autem eam quæ à beneficii natura recedit & subsidii temporalis conditioni congruit. Satis namque est decretum penale, & irritativum beneficii extendi ad pensionem purè spirituales, ita Palaus tom. 6. de cens. disp. 2. punct. 10. n. 8. vide etiam Avilam de cens. part. 2. Excomm. diff. c. 2.

4. Scio contrariam sententiam nempe collationem pensionis, quæ simul est temporalis & spiritualis, irritam esse docere Doctores, sic Sayrus l. 2. c. 5. n. 15. Vgolin. tab. 2. de cens. cap. 13. §. 2. n. 8. Henric. lib. 13. c. 13. n. 3. Valsq. de excomm. dub. 6. Bonacina disp. 2. punct. 4. §. 2. n. 4. Suar. diff. 13. §. 1. n. 9. Reginald. lib. 3. c. 4. §. 5. Filliuc. tract. 12. cap. 5. quæst. 4. Garzias de benef. l. 1. p. c. 5. n. 506. & sequent. moventur tum quia hæc pensio naturam beneficii imitatur, & loco illius succedit, cum non detur aliis à Clericis. Tum quia excommunicatus incapax est cuiuscunque clericali privilegii: Tum denique quia in collatione hujus pensionis, solet Pontifex absolutionem à censuris præmittere, quod frustraneum esset, si censura prædictam collationem non impedirent, ita Palaus ubi supra n. 7. & hanc sententiam præter Doctores citatos tenet etiam Patolettus in Palæstra Clericali p. 2. sect. 1. c. 2. lit. G. m. 3. Tamen hoc non obstante, licet hæc opinio sit communis & sequenda, ac consulenda, præsertim ante factum; tamen, ut dixi, priorem sententiam existimo probabilem, & ad fundamentum sententiæ communis patet ex dictis responsio. Ad illud verò de absolutione pontificis, dicimus concedi, tum ne illius rescriptum invalidum fiat, juxta textum in cap. 1. de rescriptis in 6. tum ne repellatur in iudicio à petenda pensione.

5. Dico tertio, Stephan. Bannium in praxi, de benef. d. 1.1. quæst. 9. assert. 4. & ult. asserere, non posse pensionem absque auctoritate Papæ redimi sine culpa. Ratio est, quod Stylus Rom. Curia instat sit legis, ad quam nos, nostraque fingere est necesse, ob quam causam c. 2. ex lit. de constitutionib. is recipiendus à suo Episcopo, in aliorum magistratuum consortium dicitur, qui parere post excommunicationem est paratus: Quod tam juris, quam nostri moris existat, inquit Pontifex, ut is qui propter contumaciam communionis privatur, cum satisfactionem congruam exhibuerit, restitutionem obtineat. Verum est ergo, stylum curiæ pro lege habendum esse, ergo cum hic Papa ante non consulto pensionem redimi non sinat, statuaturque ut facta aliter redemptio non valeat, erit hæc absque licentia Papæ omnino irritanda. Idem docet Reginaldus l. 2. lib. 30. c. 8. n. 233. & alij communiter. Licet contrariam sententiam teneat Valentia l. 3. disp. 6. §. 16. punct. 3. & Cajet. in opuscul. septemdecim respons. resp. 10. Lessius lib. 2. c. 35. dub. 22. n. 124. & 129. Tolet.

lib. 5. c. 92. n. 1. dist. 3. Suarez lib. 4. c. 26. num. 24. & 26. Rationem hujus conclusionis optime reddit Valent. supra, quia illud quod per se, & immediate acquiritur redimendo pensionem, est immunitas, & libertas ab obligatione & onere pendendi quotannis illam partem fructuum, ut de se constat: libertas autem ab hoc onere, & obligatione non est spiritualis, neque spirituali per se annexa: nam est inde sequatur beneficium ubi fore magis utile, & facultatem habere retinendi omnes fructus, hoc est extrinsecum, & accidentarium redemptioni pensionis: siquidem redemptio per se non respicit hanc utilitatem, sed solum illam libertatem, & immunitatem à quotannis solutione. Adde, quod redemptio pensionis aliud non est, quam quædam anticipata solutio fructuum, quos singulis annis tenebaris exhibere. Cum igitur fructus vendi possint, etiam & redimi: Nihil ergo spirituale, neque spirituali annexum emittit. Ita Palaus tom. 3. disp. 5. de Simon. punct. 13. n. 16. & hanc sententiam novissime docuit omnino videndus Pater Vibanus ab Assumptione in Theol. mor. tr. 3. tit. 17. §. ex animatur natura pensionis fol. 665. His tamen non obstantibus ego, non audeo recedere à prima sententia Baunii, & aliorum stante stylo curiæ, ut probat Garzias de benef. p. 1. c. 5. n. 3. & alij. Sed stando in hac opinione difficultas est an extinguens pensionem absque Papæ licentia sit declarans de simoniacus? Et affirmativam sententiam ex neoteris tenet Cartharius in decis. Archiepisc. decis. 16. n. 63. cui adde Ioan. Bapt. Clarin. contr. for. l. 2. c. 202. n. 22. ubi sic ait: & communis omnium fore DD. est, ut beneplacitum non sit necessarium, quando gratis sit remissio, illud autem omnino requiritur, quando mediante pecunia, seu anticipatis solutionibus sit remissio, cessio, cassatio vel diminutio, quia hodie si dari non potest, quin pensio sit spiritualitati annexa, non solum consequenter & dependenter, quia prærequirit ordinem Clericalem, vel primam tonsuram, sed etiam concomitanter, quia pensionarius obligatus est ad dicendum officium parvum B. M. V. ex decreto Pij V. 12. Kal. Octobr. 1571 quo fit, ut si quis pecuniam receperit pro extinctione pensionis sine beneplacito Apostolico Simonia labe inficiatur. Navarr. incap. fin. de Simon. ubi testatur quæstionem hanc fuisse disputatam coram Cardinali Aleiæto, & ita fuisse decissum, idem Navarr. cons. 52. sub n. 2. vers. pro p. & n. 3. de præbend. Major in 4. dist. 25. qu. 5. Petr. de Aragon. in comment. ad 22. D. Thom. d. iustit. & jur. qu. 100. de sim. art. 4. vers. 3. concl. 10. Gambat. de offic. & auct. legat. de Later. lib. 6. tit. de pensionib. n. 624. & seqq. Gig. de pens. q. 99. num. 14. Sayr. de censur. lib. 2. c. 5. num. 15. Busch. de visitat. lib. 2. cap. 26. num. 40. latissime Garz. de benef. part. 1. cap. 5. num. 20. & multis seqq. ubi alios allegat, & probat simoniam esse extinguere pensionem mediante pecunia sine assensu Apostolico, quia licet sit principaliter jus temporale, est tamen spirituali annexa. Idem tenet Borellus in summa decis. p. 1. tit. 30. n. 80. & 81. Gratian. Decis. March. 158. n. 128. Lotharius de re Beneficior. lib. 1. quæst. 42. num. 8. & 9. verum his non obstantibus negativam sententiam docet Baunius ubi supra in praxi beneficiorum disp. 11. q. 9. assert. ult. Nec videtur obitare stylus Curia, nam responderetur, non valere consequentiam, contractus est contra stylum Curia, ergo simoniacus, cum ad inducendam simoniam alia requirantur, quæ in extinctione pensionis pretio facta, Romano Pontifice inconsulto, non concurrunt, inquit Chart. decis. crim. 16. n. 53. & quidem durum videtur aliquibus dānare aliquem de labe simonia, dum in sui favorem habeat plures Doctores, & magni nominis, tantò magis quod iudex in cōflictu opinionum adherere debeat sententiæ, quæ faveret reo; sed quia opinio affirmativa, ut supra visum, est communiter à Doctoribus recipitur, non audeo ab illa discedere.

cedere & ideo non desinam hic apponere verba Ioan. Pároletti. in *parafra. Cleric. par. 2. sect. 1. cap. 1. vir. de personal. lit. G. fol. mibi 29.* ubi sic asserit; Ad redemptionem anticipatæ solutionis requiritur Papæ autoritas, quia pensio est ius spirituali annexum, immo esset simonia, quia habet annexam obligationem spirituales recitandi officium B.V. ita est stylus Curie; Sot. de *Iust. l. 9. q. 7. art. 2.* Azor. tamen *cap. 10. quest. 10.* excusat à pœnis simoniæ, non à pœccato & punitione in foro exteriori. Immo Cajet. *tom. 1. opus. tract. 3. resp. 10.* innuit privata autoritate licere, quia pensio est quid temporale, vt fructus. *Prima* tamen est verior. Ita Pároletti ubi supra.

DE ABSOLUTIONE Excommunicationis.

RESOL. CLXXXI.

An Pontifex possit aliquem absolvere à censuris actu solo interiori?

Et aliqua primo supponuntur pro solutione predicta questionis.

Et docetur, quod in foro conscientie in Sacramento, vel extra non debet absolvens verberare excommunicatum; nec cum Psalmis, & Precibus illum absolvere, sed, &c. Ex part. 1. tract. 3. & Misc. 3. Refol. 36.

§ 1. **S**uppono alios à Summo Pontifice non posse; nam verbis, vel scriptura censuræ absolutionem præstandam esse non solum in foro exteriori & judiciali, sed in foro conscientie probat usus; & colligitur ex *cap. cum desideres, de sententia excomm. & Clem. vn. eodem tit.* ubi non censetur absolutus ab excommunicatione is quocum Summus Pontifex scienter communicat. Addit tamen Gaspar Hurtado *disp. 14. de excomm. diff. 4.* non esse mortale aliis signis absolutionem conferre, quod non credo maxime in absolutione judiciali, tum quia adversatur consuetudini receptæ in re gravi; tum quia est satis dubium, an ea absolutio subsistat; & ita docet Palaus *tom. 6. disp. 1. punct. 1. § 3. num. 3.*

2. Difficultas est, quoad casum propositum de Summo Pontifice, & ad illam affirmative respondet Magister Hynojosa in *direct. decision. regular. verb. absolutio 3. fol. 13.* ubi sic ait: Absolventes in foro conscientie, in Sacramento, vel extra ab excommunicatione non debent verberare, nec cum Psalmo, & Precibus absolvere excommunicatum, quia hæc intelliguntur de absolutione solemnī in foro exteriori judicialiter facta, debet tamen parti satisfieri; Immo absolvere potest ab excommunicatione per actum interiore Summus Pontifex, quia non subiacet formæ absolutionis traditæ in iure. Immo potest voluntate tollere legem suam. Quod nequit alius quispiam inferior Papa facere; etiam si cum voluntate absolventi salutarer excommunicatum, quia subiiciuntur omnes formæ traditæ in iure circa absolutionem ab excommunicatione; quia tamen constare nequit de actu interiori Papæ nisi exprimat: ideo oportet saltem dicere, quod voluit absolvere. Ita ille.

3. Sed id, quod ipse asserit de iuramento non petendo, non est ita absolute admittendum; idem assero, quod Ritus servandus in absolutione judiciali à censura excommunicationis præscribitur in *cap. à nobis, 28. de sententia excomm.* & habetur in Pontificali Romano. Huius omisso neque absolutionem invalidam reddit, ut omnes fatentur, neque illicitam gra-

Sup. hoc ritum, & validitate absolutionis, & iuramento petendo hic sequens bus, inf. in ref.

viter, nisi in solemnī aliqua absolutione ad satisfaciendum Ecclesie facta, ut notavit Gaspar Hurtado, *disp. 14. de excomm. diff. 4.* in absolutione autem penitentiali, etsi expediat regulariter prædictas ceremonias servari, vt censuratus cautior in posterum sit; certum est absque gravi culpa omitti posse, vt viri timorati faciunt. Si excommunicatio ob grave delictum incurfa est; v.g. ob incendium, gravemque clerici percussione necesse sub gravi culpa exigendum est iuramentum ab absolvente; quod in simile delictum non incidit, juxta *Textum ex cap. ex renore cap. de cetero, cap. cum desideres, de sententia excomm.* & tradunt fere omnes DD. Proceditque tam in absolutione judiciali, quam penitentiali. In absolutione vero excommunicationis, alteriusve censuræ incurfæ ob delicta leviora, non est prædictum iuramentum ex obligatione exigendum, vt docet Henriquez *lib. 13. cap. 2. §. 4.* Avila *2. p. de censur. cap. 7. dist. 3. dub. 1.* Coninch *disp. 14. dub. 16. num. 204.* Gaspar Hurtado *disp. 14. de excomm. diff. 4.* Ab hac tamen obligatione iuramentum præstandi eximuntur impuberes *argument. cap. 1. & fin. de sent. excomm.* Vbi pueri ob percussione Clerici jubentur absolvi nulla mentione iuramenti facta, & tradit Sylvestre *absolut. 3. n. 3.* Henriquez *l. 13. cap. 29. n. 3.* Vgolin. *de censur. tab. 1. cap. 19. §. 5. n. 2.* Sayrus *l. 2. Theauri casuum cap. 17. n. 3.*

RESOL. CLXXXII.

De effectu excommunicationis minoris, & de eius absolutione?

Et an excommunicatus excommunicatione minori, licet valide administrat Sacramenta, peccet tamen in eorum administratione?

Et an simplex Sacerdos non approbatus ab Ordinario possit absolvere ab excommunicatione minori, quantum sit excommunicatus habeat peccatum mortale?

Et quid quævis supradicta excommunicatio incurfa sit ob peccatum mortale?

Et an ex delegatione non solum simplex Sacerdos, sed etiam Diaconus, aut quilibet alius Clericus possit à minori excommunicatione absolvere?

Et an si excommunicatus excommunicatione minori celebrat, vel recipiat aliquod Sacramentum incurat irregularitatem, vel maiorem excommunicationem?

Et notatur electionem passivam eius, qui est irritus excommunicatione minori non esse irritam, sed irritandam. Ex part. 5. tract. 9. Refol. 3.

§ 1. **E**xcommunicatio minor directè tantum per se non valet à receptione, seu passiva participatione Sacramentorum, vt patet ex *cap. 2. de except. & ex cap. ult. de Cler. excommunicat. & ex cap. penultimus, de sent. excomm.*

2. Sed primò difficultas est, an excommunicatus excommunicatione minori, licet valide administrat Sacramenta, ut patet ex *cap. ult. de Cler. excomm.* peccet tamen in eorum administratione? Prima opinio docet peccare mortaliter; Ita Valquez, Sylvestre, & Armilla. Secunda opinio docet peccare tantum venialiter; Ita Avila, Sotus, Tolerus, Coninch, & Alterius. Tertia opinio, quæ mihi tanquam probabilior magis placet, asserit excommunicatum excommunicatione minori non peccare administrando Sacramenta, quia excommunicatio minor id non prohibet, cum non privet activâ administratione Sacramentorum, sed tantum eorum receptione, vt patet ex iuribus allegatis, & ita docet Filliucius, Suarez, Navarr. & alij quos citat, & sequitur Præpos. in *cap. 9. 2. de excomm. dub. 3. n. 16.* & Hurtado de *excomm. disp. 16. diff. 1. n. 4.*

3. Secundò difficultas est, an simplex Sacerdos non

appto